

VORL.

Y94⁴
qu

xx.

393.

Quod Sacro Sancta S individualia Trinitas
felix faustumque esse jubeat!

DISSERTATIO INAUGURALIS
M E D I C A
D E
I N F L A M M A-
T I O N E ,

Quam

Authoritate atque indultu Am-

plissimæ Facultatis Medicæ in alma ac peranti-
quæ Electorali Academiâ Hierana ,

P R O L I C E N T I A

Summos in arte Medicâ honores , immunitates atq;
privilegia Doctoralia legitimè consequendi, Philiatricorum
disquisitioni submittit

P R A E S E S

C A S P A R U S W I D M A R C K T E R ,

I sennaco Thuringus ,

R e s p o n d e n t e

H e i n r i c o C h r i s t o p h o r o A l b e r t i ,

M e d . C u l t .

I N A C R O A T E R I O M E D I C O R U M ,

horis consuetis,

d . 19 . Septembr . Annō 1682 .

Erfordiæ , Typis Joh. Georg. Hertzii , Acad. Typograph.

394

VIRIS
Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimis,
Excellentissimis, Spectatissimis,
Prudentissimis
DNN.
CONSULIBUS
TOTIQUÆ ORDINI
SENATORIO
INCLYTÆ REIPUBL.
LIPSIENSIS
Dominis Patronis ac Mecœnati-
bus meis omni honoris ac observantiae cultu
suspiciendis.

Ob benefiorum in me gratiosè atque benevolè col-
latorum agnitionem ac dilaudatio-
nem æquissimam.

Disputationem hanc Inauguralem

offerò ac dedico

CASPTI. WIDTMARCKTER,
Isenacti Thuringus.

395.

I. N. I.
PRÆLOQVIUM.

Non rarum, sed lippis & Tonsoribus notum est, quam plurimos utriusq; sexus homines inflammatione sanguinis coripi, variisq; p. n. prehenditumoribus. Qui uti diversi hinc inde in machinâ inveniuntur corporeâ, ita juxta differentiam causarum circumstantiarumq; mirè variant causamq; continentem omnes exhibent, ex quae veluti ex foco suuim eructant virus. Recensentur verò inter has communiter triplices: Humores, Flatus & corpora solida, ut loqui amat *Excellentiss. D. D. VVedel. p. 2. f. 2. Theorem. med. p. 49.* prout nempè hæc vel illi partes fabricæ humanæ distendunt, angunt, naturalesq; actiones laedunt. Nos brevitatis imprimis rationem.

A 2

haben-

396
habentes impræsentiarum de illâ tantum præternaturali constitutione acturi sumus , quæ propriè inflammationis nomine, à sanguine, potissimum extravasato, Medicis venit, quæq; partes imprimis invadit solidas, easq; intumorem attollit. Ut autem felix faustumq; sit præsens hoc nostrum institutum, divinum ardenter imploramus Numen.

CAPUT I.
ONOMATOLOGIAM
exhibet.

S. I.

Antequam ad inflammationis realem definitionem descendam, opera pretium me facturum arbitror, si primò omnium de nominis evolutione paucia præmitam. Rectè enim Scalig. exercitii. I. sect. I. à nominibus, inquit, provehimur in rei perceptionem, cui GALEMUS quoq; ad stipulatur med. meth. I. a. c. 7. Ut igitur in ipsius rei cognitionem ac veritatem eō felicius deducamur, sequentia prælibabimus.

S. II.

Inflammationis nomen derivatur à verbo inflammare, quod idem hoc loco notat, ac certam corporis partem, (ut de istis jam sermo est,) qualitate quasi ignea adoriri,

ut

397

ut instar flammæ tincantis hinc rutilat. Græcis noster affectus audit φλεγμονή λπὸ τὸ φλεγματέων, ardendo effervescentio, astuando, ut habet SCHREVEL, in Lexic. græc. Ut enim igni proprius accedentes ardorem hinc æstumque sentiunt, ita, idem ferè inflammatione correpti patiuntur. Advertunt namq; cum hac conflicturi ægri, sanguinem biliosorem, serosorem, vel aliâ peregrinâ qualitate imbutum, confertim & eum impetu ad partes magis carnosas debilioresq; moveri, in circulo suo impediri, et non moliri, tumorem, dolorem & ruborem inde induci, suppurandiq; potentiam tandem præsto esse, quippe quæ inflammationem propriè dictam ceu signa pathognomonica semper comitari solent: Uti latius isthac *εριθεα* expressit Excellentiss. D. D. Wedel. in pathol. sub inflamm. p. m. 12. Quæ utiq; legi merentur.

§. III.

Quoad Synonymiam frequentius præter φλεγμονὴ & inflammationem, noīne non occurrit; nisi quod alii τὴ φλεγμονὴ vocabulum φλοζώσως substituere malint. Verum etiam si & φλόγωσις magnum & excedentem calorem, qualis in scorbuticis ac hypochondriacis à cibo præfertim sumpto non est infrequens, denotet, nullus tamen in eadem apparet tumor, neq; diu durat, sed citò evanescit, unde germanice idiomate die fliegende Hize dicitur: in φλεγμονῇ autem tumor ceu essentialiter inhærens signum, ut supra innuimus, & conjunctus & constans magis est. Teutones affectum hunc indigitant die Erhizung / eò quod pars affecta ardorem quasi ab igne contractum persentiat;

CAPUT. II.

DEFINITIONEM REALEM CUM
SUBJECTO AGGREDITUR.

A 2

§. I.

§. I.

Præmissa nominis explicatione instituti nostri nunc
ratio requiri, ut ad realem inflammationis definitionem
progrediamur, quæ ista esse potest:

Inflammatio est tumor præter-naturalis partium carnosarum cum calore, rubore, tensione ac reniten-tia, ut & dolore, suppurandiq; potentia conjunctus, à sanguine partibus p.n. affluente, ob viarum obstructio-nem in motu suo impedito depen-dens.

§. II.

Definitionem hanc ut pote essentialibus suis partibus constantem inflammationi exactè competere, cuivis facile-patet. GENERIS enim loco posuimus tumorem præter-na-turalem, de cuius præsentia uti dubium planè nullum est, ita idem maximè ex renitentia & tensione partium patet. Et licet ab aliis quoq; causis, videlicet induratione humo-rum, frigore externo, flatibus & corporibus solidis excitari possit tumor, tensio & renitentia, rubor tamen, calor, do-lor & suppurandi potentia in specie inflammationem argu-unt, eamq; à cæteris tumoribus distingvunt.

§. III.

SUBJECTUM vero morbi quod attinet, in definitione jam data diximus esse partes carnosas, ubi sub carne, non tantum musculosam, sed & viscerosam, glandulosam, mem-branaceamq; comprehendimus. In specie attendi meren-tur

389.

tur inania muscularum spatia seu interstitia, utpote quæ Galeni elogio non raro inflammationis subjectum existunt, cum ibidem appulsus sanguis facile portæ clausa stagnet, & quasi immobilis hæreat, nec refluxum meditetur.

CAPUT. III. CAUSAS CONSIDERAT.

§. I.

Causarum morbi cognitio quam maximè necessaria est, inquit Alex. Trallian. lib. med. 5. c. 1. Apud omnes enim in confessio est, non agniti morbi nullam curationem esse: Morbus autem facilius curari non potest, nisi post probè pensatas antè & perspectas causas. Quapropter jam considerandæ veniunt causæ, quæ triplices: Immediata scilicet sive continens, quæ hoc loco potissimum cum materia extravasata locum obtinet: mediata proximior, & mediata remotior, quas omnes ordine jam perlustrabimus.

§. II.

Et quidem CAUSAM IMMEDIATAM SEU CONTINENTEM quod spectat, est sanguis p. n. affluens. Cum enim tumor oriatur à novæ substantiæ accessione & transmissione, ac rubedo propria ac inseparabilis sit languini, dum venæ à sanguinis mole turgent, & caro non tam qualitate, nimirum adventitiò calore, quam potius quantitate accrescere videatur, ex effectu & proprietate meritò sanguinem pro causa, ratiō de uero etiā sanguinē pro subiecto agnoscimus. Per sanguinem autem intelligimus ipsius massam cum adjunctis serositatibus aliisq; heterogeneis humoribus cum sanguine remixtis, quos distinctis Medici nominibus insigniunt, à quibus etiam inflammationum desumuntur differentiae.

§. III.

Pergimus hunc ad CAUSAM PROXIMAM, quam designamus esse obstructionem viarum seu vasorum, quæ accidit, quando sanguis confertim & continuò ad locum debiliorēm per arterias ruit, venis hinc obstructis, per quas utique remeare debebat, non potest non fieri, quin ab exundante, sanguine pars illa, in qua ista obstructio latet, in tumorem cogatur. Chymici vero istud Sulphuri coagulato adscribunt, vid. Excellentiss. D. D. Wedelij Preceptoris quondam ac adfinitis boni etijsimis tab. de print. Chymic. in theoremat. med. p. 2. f. 2. de caus. morbor. p. m. 46.

§. IV.

Sed ad causas mediatas Proximiores tam internas, quam externas deveniendum est, ubi ad internas imprimis referimus humores vitiosos ac crudos sanguini admixtos, qui substantia partium allabentes portas sanguinis præcludunt, unde cum subsequens sangvis priorem trudit, & magis impingat, arteriolas dilatari & perrumpi necesse est, ac substantiam partis tamdiu sanguinae repleri, donec materia concocata aut discussa, via sanguinis reserentur.

§. V.

Inter EXTERNAS vero, quæ huic malo ansam præbent, sunt contusiones, compressiones, fracturæ, vulnera, ulcera, luxationes, & alaque, quæ motum sanguinis intercipiunt, eundemq; extra sua vasa compellunt,

§. VI.

Supersunt dispiciendæ nunc reliquæ remotiores causæ & primè quidem NATURALES, ex quibus primum locum obtinet sanguis particulis Sulphureis oleosis & Mercuriali- bus constans, qui uti expulsionem continuam in partium hinc substantiam urget, ita glutinosior contra ac crudior carum.

70a.
earundem extremitates oblinit ac obstruit. Ad utriusque
verò generationem multum imprimis confert tempera-
mentum, artas, sexus talismodi sanguinem generantia, un-
de contingit, ut quibusdam inflammations satis sint fre-
quentes ac familiares.

§. VII.

Rerum nunc NON NATURALIUM instituemus examen,
ubi primas tenet AËR corpus nostrum extrinsecus ambiens:
Qui si calidus, dum respirationis lege pulmones intat, fer-
vidisq; suis particulis allabentि sanguini sele associat, humo-
res in corpore rarefacit ac commovet: Sin frigidus: sep-
rationem particularum Mercurialium seu serosarum ab
Oleosis. ac Sulphureis instituit, humores incrassat, actorpi-
dos reddit, ut in vasis hinc subsistentes inflammationis sat
gravis autores existant.

§. VIII.

CIBUS & POTUS quantum in producendo hoc affectu
habeant valoris, neminem omnino latet; imprimis autem
censum hunc subit cibus justo calidior, salsus, viscidus ac
glutinosus, crudiorq; & corruptus, nec non potus iisdem
qualitatibus pravis instructus.

§. IX.

Sic quoq; MOTUS & QUIES, si vel limites transcendent,
vel minus commoda habeant tempora, promovendæ in-
flammationis aepiuscule animam præbent.

§. X.

Non minus & à SOMNO ac VIGILIA immoderatis, vel
agitatio humorum ad circumferentiam, vel cruditatum
generatio accelerari potest. Ut taceam Animi *παθήσεως*,
& inter hæc imprimis iram, gaudia immoderata, & sim. nec
NON EXCRETA ac RETUNTA si debito non accident tempore,

B

mea-

meatum obstructionem generare, suumq; symbolum huc
notabiliter addere possunt, ut in proposito est.

S. XI.

RES denique PRÆTERTURNALES paucis memoranda
veniunt: Imprimis vero ex his reliquis omnibus antecedentibus
morbi intemperie & febres, quarum causæ valdoperè Ar-
chæum irritant, à quibus dum liberare se an nititur, nec sine
sanguine, tanquam vehiculo efficere id valet, ad exteriora
conferrimac cum imperu easdem detrudit & eliminat, pse-
sertit, si plethora aut cæcophymia, consuetæ eyacuationis
superficio, aut partium debilitates adhinc, quæ inflammatio-
nis causam adaugere valent.

CAPUT. IV.
CIRCA DIFFERENTIAS VER-
SATUR.

S. I.
Cum plurimæ inflammationis sint differentia, ut ea dilu-
cide proponantur, triplicem huc sistimus distinctio-
nem. Et quidem I. RATIONE GENERIS, inflammationis alia
major, alia minor est: alia benigna, alia maligna: alia cum
majori, alia cum minori rubore ac dolore, pro ratione cau-
sarum.

S. II.
RATIONE SUBJECTI, alia occupat partes internas, alia
externas; pro diversitate partium affectarum,

S. III.
RATIONE CAUSARUM: alia est legirima, à sanguine
bono cupioso orta, absolute φλεγμονή dicta: Alia spartia,
qua ortum trahit vel à sanguine bilioso, unde φλεγμονή ερε-
πτελατώδης, vel pituitoso, unde οἰδηματώδης, vel melanclio-
lico.

lico, unde ~~συρρέως~~, vel atrabilario, vel seroso, ita tamen, ut
naturam sanguinis ubiq; retineat.

403

CAPUT. V.

SIGNA DIAGNOSTICA AC PROGNOSTICA CONTINET.

§. I.

Expositis causis ad signa nunc investiganda provehimur, quorum cognitio summo perè est necessaria, quantum enim in dignoscendā morbi præsentia de signis nobis consterit, tantum in sanatione perficienda felicitatis obtinebimus. Sunt autem signa horum alia DIAGNOSTICA, alia PROGNOSTICA. Et quidem Diagnistica quod concernit I. RATIONE GENERIS, in tumore inflammatorio adest calor, rubor, tensio, tenitentia, vasorum turgentia, dolor & pulsus, ex quibus inflammationis ab aliis tumoribus differentia patet.

§. II.

RATIONE SUBJECTI inflammatio cum diversis symptomatibus, pro partium constitutione & diversitate, selecerit, de quibus jam non dicendi locus est.

§. III.

RATIONE CAUSARUM admodum variant inflammacionis signa, prout alia est vel legitima, vel illegitima. In legitimā enim ac purā prævalet rubedo: in biliolā, dolor punctionis ac urens molestus est; In pituitolā, dolor, rubor & calor sunt remissiora, ut & in melancholicā, in qua insuper ad nigredinem vergit color, sed tumor utrobiq; est durior; in atrabilairā, præter duritiem & nigredinem vhemens adest calor & dolor, & in serosa tumor est mollior, & reliqua symptomata sunt remissa.

B 2

§. IV.

40a.
§. IV.

AD PROGNOSTICA nunc pergimus Signa, ac I. salutis & mortis. Quò vehementiora itaq; ac majora inflammatio habet symptomata, eò etiam majus periculum imminere certum est, præterim si virium debilitas conspiret: & quo dignior ac nobilior pars affecta, eò quoq; periculosior morbus existit.

§. V.

Ratione porrò Causarum II. pejores sunt inflammations bilioræ sanguineis, atrabilariaæ melancholicis, pituitosæ serosis, cæteris partibus, & si ætas & constitutio corporis, vel catochymica vel plethorica consentiant.

§. VI.

III. Quod durationem vero spectat, inflammations serosaæ, bilioræ & sanguineaæ citius evanescunt, quam pituitosæ, melancholiaæ ac atrabilariaæ, exq; citius in partibus carnosis & calidis, quam membranosis & frigidis terminantur.

§. VII.

Modus EVENTUS restat nunc contemplandus, ubi- quam optimum est, si vel humor insensibiliter resolvatur, aut discutiatur, vel concoquatur aut suppuretur, ubiq; tono partium observato. Pessimum namq; est, calore natu- rali extincto ac suffocato, membrum puruscere & gangra- na corripi. Præterea malum est, tumorem seirriescere, quod vel ob materia crassitudinem, vel discutientia fortiora in prin- cípio sinistre adhibita facilè contingit. Malum quoq; est, si tumor externus, repellentibus non adhibitis, ad interio- ra recurrat, cum prius à Natura: eò cum iufoçia protrusus: esset, *ca*

VI. 2

8

CAPUT. VI.

*CURATIONEM CHIRURGICAM
EJUSQUE SUBORDINATA PRO-
PONIT.*

§. I.

Perspectis nunc signis diagnosticis ac prognosticis curationem aggredimur, ubi ex chirurgia tanquam parte nobilissima & antiquissima. I. se sitit **VENÆ SECTIO**. Quæ uti primas obtinet, ita in adultioribus nisi præmittatur, vix alia tute applicantur remedia. Imprimis autem locis in ista rite administranda ratione revulsionis ac derivationis considerandus vehitur. Et quidem quod modum spectat revulsorum, vena in opposita parte incidenda est; ratione vero derivationis secari potest vena cum parte affecta vicinus communicans, hoc enim modo eademq; operâ, & educitur sanguinis moles, & pars affecta suo levatur onere. Quantum autem emittendum sit sanguinis, morbus juxta ac vires ipsæ indicabunt. Ubiq; enim & hoc imprimis loco valet illud Comici, ne quid nimis; undè semper hic morbi ac virium habenda est ratio.

Si nunc SUBORDINATA venæ sectionis consideramus, sunt quidam qui ARTERIOTOMIAM svadent. Verum etiamsi ista interdum in desperato casu locum habere possit, quatenus sanguinem servidum ac biliosum evacuat, ob metum, tamen aneurismatis, & cum sc̄opissime malè cedere ista soleat, non autor sum, ut eandem facile citra prægnantissimam causam quis admittat.

B. 3.

§. III.

q. 6. §. III.

De HIRUDINIBUS vero, quod venis majoribus vel minoribus applicari ac venæ sectionis vicem in debilioribus præsertim obire possint, non dubitamus: Imprimis cum jamdudum Avicenna, Plinius aliiq; profundiorem extraktionem per sanguisugas probent, ac expertisint, cum hac ratiōne cautelā, ne in earundem usu & applicatione plus justo delinquamus.

§. IV.

SCARIFICATIO utrum hic locum habere possit, non immerito jam disquiritur. Commendat eandem Galen. art. parv. 95. de tumor. aliiq; insigniores Medici, imprimis ubi nec materiæ suppuratio nec discussio per medicamenta speranda: vel scirrhus aut gangræna metuitur, tunc eadem præmissis universalibus, & subsistente inflammatione, etiam pure genito, in locis quæ alias scarificari solent, cum successu institui potest.

§. V.

Pertinent huc quoq; FRICTIONES ac LIGATURÆ quæ huius mores fluentes revellunt, & intercipiunt, & sèpius utilissimè adhibentur. In ABSCESSUM si abiit inflammatio, aperiri iste potest post maturationem apparentem secundum membra rectitudinem vel scalpelio aut lancettâ, vel adhiberi quoq; queunt Cauteria, tam potentialia, quale est lapis corrosivus, butyrum gij, quæ imprimis commendat *Excellent. D.D.* *Wed. in pharm. lib. 2. f. I. c. 10. de cauteriis:* Quam actualia, quæ urgente necessitate, cum cautelâ adhibentur, ut haemorrhagia præcaveatur, & hæc de chirurgicis auxiliis,

CAP.

407.

CAPUT. VII.

REMEDIA PHARMACEUTICA APERIT.

S. I.

FONS pharmaceuticus nobilissima, eaq; varia remediorum genera suppeditat, inter quæ primo loco se sistunt **EVACUANTIA**, quæ ante alia medicamenta adhiberi consuētō queunt, modo non contraindicantia id prohibeant. Verum cum Purgantium istorum selectui jamdudum satisfecit, *Nobilis. D. D. Wed. de medicam. fac. l. II. f. I. c. 5. p. m. 146.* non opus erit ista prolixo hoc loco repetere, sed lectorem eo remittimus,

S. II.

Pergimus potius ad **SUDORIFERA**, quæ serositates archæum hinc stimulantes exturbant, suntq; talia tam volatilia, ut Spir. & Sal. C. C. viper. spir. Ebor. aliaq; quæ imprimis in *peuvia* commendat. *D. Wedel. de medic. f. l. 2. f. 2. c. 3. p. m. 171.* Quam fixa, ut & diaphor. conch. ppt. nec non alia, quæ latius loco citato videri possunt.

S. III.

ALTERANTIA vero vel sanguinem nimis efferatum ac biliosum, vel glutinosum & crudum respiciunt, ex horum ordine sunt sequentia, np. cichor. acetos. Endiv. lactuc. R̄a. viol. rosar. elyss. &c. Ra bezoard. *D. D. Wed. l. Michaël. Es sent. antodyn. catarrhal.* & similia possim hinc penes Authores obvia.

S. IV.

Ad **REPELLENTEA** nunc devolvimur, quæ humores in motum actos & efferratos compescunt ac remeare faciunt. Desumuntur ista, si practicos inspicimus, vel ex frigidis ac humili-

humidis, ut sempervivo, lactuc, portulac, Solan endiv.
nymph. aliisq; humore aquo frigido imbutis; vel ex frigi-
dis ac siccis adstringentibus, ex rosis siccis, balaust, fol quer-
cus, cupress, bolo armen, sanguin, Dracon, corall, ceruss. a-
liisque.

§. V.

Ita Chirurgi in usu habent, ut albumen ovi c. f. q. aqua
rosarum concutiant misceantque, & hinc stuppas vel pan-
nos lineos imbutos, parti affecte applicent. Notandum
verò est de repellentibus, imprimis frigidis ac siccis, quod
non æque semper convenient, nam dolor & obstructio va-
sorum hoc modo magis increscit, humores partibus magis
impinguntur, unde vel corruptio partium vel difficilis sup-
puratio ut plurimum consequitur.

§. VI.

Frigida contra ac humida, quatenus sanguinem servie-
dum compescunt, & partes laxas reddunt, dolorem mitiga-
re queunt, imprimis si qualitate discutiente & aperiente si-
mal gaudeant. Unde videmus calidissima, ut lixivium
calcis vinæ Decost. lithargyrij cum acetio in erysipelate &
inflammationibus vulnerum præcavendis quandoq; mira-
efficere, prælestim cum acetato penetrante polleat.

§. VII.

SUPPURANTIA AC MATERANTIA NUNC SUBNECTIMUS, QUÆ
MATERIAE VITIOSÆ QUANTITATE AC QUALITATE PECCANTI, AC LOCO
AFFECTO PENITIUS INSIDENTI AC IMPACTÆ QUASI DEBENTUR, QUALIA
SUNT. Rad. alth. lil. alb. herb. s. Einoll. flor. malv. chamæm.
melilot. farina semin. lini, foenegr. carica pingves & similia,
QUÆ VEL IN FORMA CATAPLASMATIS, VEL EMPLASTRI ADHIBERI APTE
NATA SUNT, & UBIQ; JAM PARATA IN OFFICINIS EXTRANT.

§. VIII.

§. VIII.

Quod si pus nunc confectum sit, quod ex fluctuatione
ac mollitie partis patescit, & vomica per se, quod raro, nec
tutò sit, non aperiatur, suppurantibus istis abcessum aperi-
entia associari possunt, ut sunt, allium, cepa sub cineribus
coctæ, fermentum, emplastrum diachylum, cum sinapi, sale
& sicibus mixtum, aliaq; hinc apud Practicos occurrentia.

§. IX.

Ruptâ autem vomicâ mundificantia ac pus detergen-
tia, nec non tandem sarcotica, & his epulotica sub finem in
usum vocari vebent, quorum materia peti potest, tum ex
*Excellent. D. D. Wed. tratt. de med. fac. l. I. f. 2. c. x. & xi. p. m. 73.
& 74. l. etiam ex Macas. promtuar. med. aliis.*

CAPUT VIII.
DIÆTAM SUBNECTIT.

§. I.

AD fontem ultimo devolvimur diæticum, qui in recto
ac legitimo rerum ex non naturalium usu consistit, &
ad curationem admodum necessarius est.

§. II.

Idcirco exhibendus erit cibus ~~euωτεπ̄~~ & concoctu fa-
cili: vitentur alimenta salsa, calida, nimis aromatisata,
frigida ac viscida. Potus sit cerevisia probe defecata, nec
justò calidior, nec nimis recens ac crassa, quæ facilè obstruc-
tiones gignit. Vinum vero cane pejus & angve fugien-
dum, quoniam humoribus & motum conciliat, & majori
inflammationi ansam præbet: Nisi forte in assuetis ολιγοφόρ
egy parcè sit concedendum.

C

§. III.

40.
§. III.

Aër ambitu suo & inspiratione corpus afficiens sit putrus ac temperatus, non justo calidior & frigidior. Ut enim calor humores magis rarefacit & commovet; ita frigus contra eos magis figit & concentrat, obstruktionesq; parit.

§. IV.

Motus sit mediocris, nec vehemens, hic enim humor res magis accendit, & præsentem jam inflammationem auget; absensem vero facile accersere potest. Quietè autem nimia humores redduntur torpidiores, atq; ad stagnationem procliviores, obstruktionesq; inde majores oriuntur.

§. V.

SOMNUS sit moderatus, ut naturam levet, non graveret; vigiliae contra nimia, quoniam corpus magis excalefaciunt, sanguinem & spiritus fervidiores reddunt, exulare debent. In summa, secundum aph. 3, l. 2. Ῥωμαϊκή ἀγεντινή αὐφόρεζ τε μετέχει πάθον γενομέναι, καὶ οὐ πάντα itaq; suntομέτρειαι.

§. VI.

Animi affectus ac imprimis ira, quæ totum corpus mihi accendit, sanguinem rarefacit ac ad exteriora propellit, penitus proscribenda est.

§. VII.

Alvus suo quotidiè respondeat officio vel natura vel arte, lenientibus, clystere, suppositorio promota, ne major huic malo præbeatetur ansa. Reliquæ etiam corporis excretiones in suo ordine serventur integræ. VENUS verò cum Archæum magis irritet, ac sanguinem cum reliquis humoribus magis accendat, cane pejus & angue fugienda est. Tantum!

SOLI DEO GLORIA.



711.

Ad Clarissimum & Experientissimum Dn. Doctorandum.

Dum bene φλεγμασιαν tentas curare ferocem,
Vvidmarcktere tuam capit inflammatio
mentem.,

Exactis studiis ad honorum culmina ferri,
Quo tua Te Virtus rapit, & laudabilis ardor.
Macte cedro dignis conatibus, utere faustō
Successu, calcare PATRIS vestigia perge.
Et dum febriles restinguunt scopius astus,
Ægrotis doctā cum dexteritate medere.

divulgad.

GEORGIUS CHRISTOPHORUS

PETRI ab Hartenfels/ D. Sacr. Pal.
Cæl. Comes, Med. Electoral. Mog. & Erf-
furtens. Ordinarius, Fac. Med. p. t. DE-
CANUS.

Corporis ardentes tractans obtundere flamas,
Mi Fautor! relegis tunc Monumenta
Patris.

Egred.

q12.

Egregius labore est, quem pramia digna sequentur,
Hac ut Apollo ferat, compreco rex animo.

Hisce

Nobilissimo & Experientissimo Dn.
DOCTORAND. inservire
volut

JOACH. L. Mörber/M.C.

MOrbi dum surgunt & corpora nostra fati-
gant,

Illaq; sæpe ingens algor & ardor habet.
Nostrum est , non sævis laurum concedere
monstris,

Aut manibus timidis sponte referre pedem:
Acriter asthos hos oppugnare malignos,
Tempore quo cedant, intereantq; brevi.
Hoc TU dum præstas, PRÆSES fortissime, jure
TE sequimur, nobis prælia fausta sient.

Heinricus Christoph. Alberti.



153154


X2615746

R

W17

B.I.G.

Black



Quod Sacro Sancta & individua Trinitas

felix faustumque esse jubeat!

DISSERTATIO INAUGURALIS

MEDICA

DE

INFLAMMA- TIONE,

Quam

Authoritate atque indultu Am-
plissimae Facultatis Medicæ in alma ac peranti-

quâ Electorali Academiâ Hierana,

PRO LICENTIA

Summos in arte Medicâ honores, immunitates atq;
privilegia Doctoralia legitime consequendi, Philiatrorum
disquisitioni submittit

PRAESSES

CASPARUS WIDMARCKTER,

Iennaco Thuringus,

Respondente

Heinrico Christophoro Alberti,

Med. Culs.

IN ACROATERIO MEDICORUM,

horis convetis,

d. 12. Septembr. Annō 1682.

Erfordiae, Typis Joh. Georg. Hertzii, Acad. Typograph.